



247
(4)

NOBILIUM QUESTIONUM ETHICA-
RUM

DECAS IV.

De

OBIECTO VIRTU-
TUM MORALIUM, AFFE-
CTIBUS VIDELICET, ET

causa efficiente, nempe A-
ctionibus.

Quam

DEO TRIVNO ANNVENTE

In illustri Academia VVittebergensi.

PRÆSIDE

Clarissimo viro

M. HENRICO VELSTENIO

*Philosophiæ moralis Professore Publ. venti-
landam proponit*

IOHANNES LAURENTIUS

STADENSIS

Ad diem 23. Maij horis, locoq; consuetis.

Plutarch in apophth.

*In magno fluctu non sistitur navis, nisi pondus anebo e retineat, alto inji-
ne vado: sic in magnis rerum procellis summa debet ratio animum
cohibere, ne ab affectibus auferatur.*

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. X.



*Reverendis, claritate, pietate & eruditione excellentissimis, deq; Ecclesia Dei optimè meritis
viris,*

Dn. M. MATTHÆO RATICHIO
verbi divini in Geuerstorff ministro fidelissimo,

Dn. DANIELI LAURENTIO
Pastori in Hamelworden vigilantissimo, parenti suo æternùm colendo.

NEC NON

Amplissimo, prudentia, multarumq; rerum usu præstantissimo viro,

Dn. HARTVICHIO SCHELEN,
Reipub. Stadensis inclitæ Senatori prudentissimo.

ut &

Prudentia, virtutis & experientia laude commendatissimo

Dn. PETRO Witten civi augustæ Hamburgensium Reip. primario.

Dominis, patronis, parentibus ac fautoribus suis summâ animi observantiâ æternùm prosequendis.

Ζητήματα hæc Ethica in gratæ mentis τεκμήριον & observantiæ σύμβολον offert ac consecrat

Iohannes Laurentius

Auctor & Respondens.



DE AFFECTIBUS ET ACTIONIBUS Moralibus.

QUÆSTIO I.

Quid affectus, quomodo cieantur & quoduplices sint?



E virtute morali progressâ disquisitione generatim à nobis actum fuit: nunc de objecto virtutum, nempe affectibus & causâ efficiente, videlicet actionibus humanis, nonnihil agemus.

Affectus sunt motus cordis à notitia & cognitione objecti excitati, illudque aut prosequentes aut fugientes, *Piccol. grad. l. c. 5. Magirus phys. l. 6. c. 16.* Subjectum horum *γνήσιον* & proximum est COR, quod alibi *fusiùs ostendimus.* Objectum est bonum vel malum: utrumque verum, vel apparens. Causæ affectuum sunt cum ipsum objectum, tum ejus cognitio: unde & affectus hunc in modum cieantur. 1. Cognitio seu notitia rei appetitum precedat, necesse est. 2. Mens quando objectum externum oblatum, & cognitum Phantasiæ beneficio vel bonum vel malum vel jucundū vel molestum esse judicat spiritus pulsat animales, ad illud vel apprehendendum vel fugiendum non secus, ac cytharæ nervos, 3. Spiritus moti cor ipsum feriunt. 4. Cor ita vibratum, pro ratione pulsantium spirituum, villorum adminiculo vel sese dilatat, quasi objectum illud bonum intra se esset recepturum; non secus ac amans amantem puellam in sinum suum recipere gaudet: vel contrahit sese, quasi malum objectum

*Etum,aversans. Phil. Melanthon in libello de anima. Atq;
exinde patet alios affectus in objecto bono, alios in malo
esse occupatos, quorum illi juvant, hi destruunt naturam.
Affectus objecti boni sunt, Amor, desiderium, Spes, Læ-
titia. Affectus objecti mali sunt, Ira, Metus, Tristitia. De
quibus alibi plenius.*

QUÆSTIO II.

*An subita affectuum incendia, quæ ~~æcra~~ Deicos
Philosophi vocant, sint peccata, si non certus volun-
tatis consensus accedat?*

*Ita quidem Aristoteles disputat lib. 2. Nicom. c. 3.
Propter affectus nos neq; rectè laudari, neq; vituperari. Nec ab
Aristotele diversus abit Franciscus Toletus in lib. 3. de a-
nima Aristotelis cap. u. pag. 176. quando ita Philosophat-
tur. Aliquando passiones corporis insurgunt ita vehementes &
celerrime, ut antecedant discursum rationis, intellectumque
turbent: & tunc voluntas, ablato usu rationis, vel in primo
motu operatur necessariò & naturaliter talem operationem,
quæ non ex iudicio & deliberatione rationis procedit, in vo-
luntatem, vocant Theologi motum primum, in quo non est
peccatum cum libertate careat: vocant etiam motum sub re-
petitum. Hac ille.*

*Pro quæstionis determinatione duplex est notanda
distinctio. Prior est inter incendia affectuum, quorum
alia sunt ordinata, alia inordinata: illa ex natura conditio-
ne ad res licitas; hæc ex peccati corruptione ad res illicitas;
quamvis autem persæpè etiam ad res licitas, sed tum modum
excedunt. De illis peccatum negatur: etenim Deus ipse ta-
lia affectuum incendia hominib; indidit, ut ijs incitati cibum,
potum & alias res, quæ à Deo conditæ tendunt ad finem divi-
nitatis sibi destinatum, appetant. De his etiam si volunta-
tis, con-*

*vis, consensus non accedat peccatum affirmatur. ἢ ἀπαγορεύεται
 ἔστι ἀνομία 1. Joh. 3, vers. 4. Ideoque ad peccati consti-
 tutionem non necessario requiritur hoc ἡγορευέμενον, ut
 sit voluntarium; siquidem Apostolus quod nolit, se opera-
 ri disertè fatetur, Rom. 7, vers. 10. Et ipsi infantes licet volun-
 tatis consensu destituantur, sine peccato tamen non sunt. Ob-
 jicis hinc illud Augustini lib. de bono conjugali cap. 16:
*cibus est ad salutem hominis, hoc est, concubitus ad salutem hu-
 mani generis, & utrumque non est sine delectatione carnali:
 quæ tamen modificata & refrenante temperantia in usum,
 naturalem redacta, libido esse non potest. Ex quibus con-
 cludi potest: si cibus & concubitus sunt naturalia, peccata dici
 non possunt. Respondemus distinguendo inter medium
 & ejus excessum: ipsum medium, de quo Augustinus lo-
 quitur, naturale est & sic peccatum dici nequit: nos verò de
 appetitu inordinato seu excessu mediæ loquimur, qui cum sit vi-
 tiosus, & carnalis, peccatum dicitur: omnis enim natura vitio-
 sa, quantum natura est, bona est, quantum vitiosa est, mala
 est, inquit idem Augustinus in Enchiridio cap. 12. Altera di-
 stinctio est inter forum Theologicum & Ethicum: si ad
 illud respexeris, effatum Aristotelicum minimè omnium subsi-
 stit: contra verò, si hoc, & quidem Ethicè, moraliter & habitu-
 aliter, qualicumq; modo admitti potest.**

QUÆSTIO III.

Quomodo vitiosorum affectuum
 incendia nobis sint natu-
 ralia?

A 3

Sub-

Subjungimus & hanc questionem, ut antegressa questio magis in claro sit. Naturam enim, ne quid hic erres, multifariam quidem dicitur. Principalem tamen vocis hujus significationes duæ sunt. I. Naturale significat vel id, quod essentiam rei constituit, vel quod ab hac essentia tanquam proprium subjecti fluit, ita ut nullo momento possit separari. II. Naturale id dicitur, quod simul cum subjecto nascitur, ut cum nonnulli morbi dicuntur naturales. In priori significatione vitiosorum affectuum incendia nobis neutiquam sunt Naturalia, sed præternaturalia. In posteriori verò istiusmodi incendia omnino nobis sunt naturalia & nobiscum innascuntur.

QUÆSTIO IV.

An affectus in homine mutantur: & si non mutantur, quid attineat de illis Leges & præcepta tradere?

Ita forsan instabis: quicquid nobiscum innascitur: id corrigi & mutari nequit. Quod corrigi & mutari nequit, de eo quid attinet leges & præcepta tradere? Atqui affectus, quoad primam suam originem, innascuntur nobiscum. Ergo non mutantur. Ergo nec præcepta de ijs ferenda. Verum hoc ex labyrintho ut facilius te expedias, rem omnem ita habeto. i. affectus, quæ affectus per se in suo genere non mutatur, est siquidem bonitate naturali bonus: sed per aliud videlicet per gradus accessionum depravari potest. Nullum enim bonum sui ipsius ratione aut incremento, essentiâ propriâ potest defraudari Scal. Exerc. 299. sect. 2. suis namq; contentus finibus, divina res est affectus: depravatur autem non ab accessionibus propria natura, sed æquivocis. Ex quibus facile intelligitur, affectus in se non mutari nec crescere, sed ab aliis rebus vitiari, & diversi generis appositione contaminari. Sic potus si aliorum spectat, quam

quàm ad liquefactionem & concoctionem cibi, ex suis exit
finibus, neq; amplius dici potest voluptas: in alium namq;
adhibitus finem, priorem amittit formam. Hinc etiam satis
patet, discrimen inter eam Venerem, quæ liberos quærit, & quæ
nescio quid cœni abligurit animo Scal. exerc. dict. hæc ex
affectu vitioso, illa ex naturali & bono. Ita & affectus per
se boni sunt, sicq; non mutantur, sed alio sum rapti & finibus
suis exeuntes mali redduntur, ratione nimirum istius excessio-
nis & accessionis ab æquivocis. II. Distinguendum inter af-
fectus naturâ nobis insitos, & eos qui finibus suis exe-
unt. Hi ad moralem virtutem mutandi & corrigendi gra-
tiâ referuntur: postquam enim indomiti sunt & reluctan-
tur rationi, primo vitiosi, deinde rectæ rationi subjecti red-
duntur boni: prout enim conveniunt rationi, & prout ab eâ-
dem dissentiant, sic etiam vel boni vel mali moraliter dici po-
terunt. Coll. Conimb. disp. Eth. 6. quæst. quarta, art. se-
cundo. Illi sunt boni, nec ad virtutes morales reducuntur,
ut corrigantur, sed ut in bonitate sua per virtutis moralis
studium conserventur. Quare non sunt virtutes morales,
sed cum à depravata natura facile vitiari queant, eò bonita-
te sua manendi gratiâ referuntur. III. Notanda isthæc
limitatio. Quæcunque natura nobis insunt, de iis non est
necessum præcepta tradere, scilicet ut mutantur; aliâs præce-
pta sæpe numero de re aliqua feruntur ut cognoscatur & per
virtutis studium bona servetur. Et sic affectus in Ethicis non
mutandi, sed in bonitate manendi gratiâ inculcantur.

QUÆSTIO V.

An aliquando puniatur affectus, si
non sequatur effectus?

Affirmativa scripturarum testimonijs satis vide-
tur stabilita, quæ non solum ipsum factum, sed etiam cogi-
tationes cordis vitiosas accusant. Ita enim expresse habet
Matthæus.

Matthæus 5. cap. vers. 28. *Et huc pertinet Christi pronuncia-
tum Matth. 15. quo cogitationes mala ex corde prodeuntes
accusantur.* Nos pro quæstionis decisione distinguimus
inter punientem Deum & hominem: Hic à cogitante
mala pœnam non sumit: ille, qui corda hominem inspi-
cit & vitiosas istas cordis cogitationes in homine novit,
pœnam exigit.

QUÆST. VI.

Quid actio moralis, quotuplex sit, quid vo-
luntaria, quid invita?

*Vidimus obiectum virtutis moralis, affectus nempe: nunc
de causa efficiente virtutis moralis, quam actionem esse, toties
à Philosophis assertum fuit, ut vel loca recensere pigeat, nonni-
hil dispiciemus.* Actio igitur est rerum à nobis delibera-
tarum & certo animi iudicio approbatarum executio,
ad bonum vel malum morale determinata. Estq; volun-
taria vel involuntaria Aristot. 3. Nicom. C. 1.

Voluntaria est, cuius principium est in ipso agente &
singulas actionis circumstantias sciente. *Idem ibid.*
In hac tria requiruntur, voluntas, consultatio, Electio.
Voluntas est appetitio boni veri vel apparentis cum
ratione *Arist. l. d. c. 4. Cic. 4. Tusc.* Consultatio est ratio-
cinatio de mediis per quæ ad finem in agendo perveni-
tur 3. *Nicom. c. 3.* Electio est præmeditata appetitio co-
rum, quæ in nostra sunt potestate *Arist. l. 3. Nicom. c. 2. 3.
& l. 6. c. 2.* Actio invita est, cuius principium aliunde pro-
venit. *Arist. 3. Nicom. c. 1.* Estq; violenta vel imprudens
ibid. Violenta est, quæ fit vi aliqua hoc est urgente ne-
cessitate *ibid.* Estq; vel absolutè violenta vel mixta. Ab-
solutè violenta est, cuius principium est extra agentem,
adeò, ut is, qui agit vel, patitur, planè nihil adiumentum ad
illam actionem conferat. Actio mixta est, cuius princi-
pium

pium cum in nostra potestate sit, & res per se mala videatur: ideoque nec eligenda, respectu tamen circumstantiarum bona & eligenda censetur, *Ibid.* Actio invita imprudens est, quæ ab agente circumstantiarum quarundam singularium ignaro, culpæ & fraudis vacuo proficiscitur & subsequenter habet poenitentiam ob admissum peccatum, *Arist. l. d.*

QUÆSTIO VII.

Cum duplices sint hominis actiones, immanentes & transeuntes, an possit esse ἀταξία in actionibus externis nisi antecedat vitium in actionibus immanentibus sive internis.

Ut eo commodius ad hanc questionem responderi possit, opera pretium esse arbitror, si explicetur, quid per actionem internam & externam, quæ nostro instituto inseruit, intelligatur. Piccol. grad. 2. c. 9. inquit: actio vna est interna, altera externa, nam pro perficienda actione tria conspirare debent, scire, velle & posse: exprimis prodit actio interna, si adest tertium, prodit externa actio. Deinde cap. 11. hasce actiones in decem gradus redigit, quos breviter sic comprehendo. Primò per externos, communemque sensum ac proximè per phantasiam menti offeruntur excitantia ad notitiam ultimi nostri finis: qui secundo à mente iudicatur. Tertio ut bonum nobis iudicatur: Hinc quarto voluntas: Quinto consurgit consultatio & ratio de mediis. Hæc sententia sexto loco imaginatione concipitur, & hæc est phantasia cū ratione. Septimo sequitur assensio & præelectio. Octavo Phantasia ut dux proximus, & appetitio præelecti medii: Hinc tandem nonò prodit motus & externa actio: per quam decimò & postremo si finem assequimur, voluptate afficimur: si de eo frustramur tristamur. Quibus iam præmissis statuimus, ἀταξίας in actionibus externis non posse esse, nisi in internis

B

ante-

antecedat vitium: nam externa actio includit omnes e-
numeratos decem gradus: si igitur à *causa* esset in actionibus
externis, & non simul vitium in internis, sequeretur recta ra-
tione utentes errare: etenim qui actiones internas adhibet,
hoc est, cuius mens illa omnia, quæ sibi à phantasia offerun-
tur, dijudicat, si bona de mediis illa ipsa acquirendi consul-
tat, is utique rectam adhibere dicitur rationem. Quapro-
pter admodum absurde recta rationi tribuitur error: quicun-
que enim illa ut recta utitur, non errat, cum alias frustra mo-
dus recta ratione utendi addisceretur. Deinde ex hac vul-
gari maxima: Qualis causa talis effectus; nostra senten-
tia corroborari potest: etenim si interne actiones, quæ (cum
ex iis externe consurgant) sunt causæ, bonæ censeantur,
ultro sequitur externas etiam esse bonas, & vice versa: si in-
terna mala utique etiam externe vitiosa erunt. Sed obi-
cis, aliquem sæpe iuxta internas actiones agere, & tamen in
externis sæpius frustrari de fine & sic errare: Verum ad
hoc respondeo, in externis actionibus errantem, non verè,
sed solum apparenter iuxta internas agere: qui enim rectè
quatenus rectè internis actionibus utitur, in externis non
peccat, uti probatum dedimus. Sed videtur gravius quid
nostræ sententiæ obstare: siquidem videmus, homines
sine consensu voluntatis, quæ est actio interna, per sæpe pec-
care: unde inquit Apostolus, non quod volo, sed quod nolo,
facio. Hinc tale argumentum: Si committitur pec-
catum (quod est actio externa) & tamen voluntas (quæ
est interna actio) non consentit, sequitur posse esse à *causa*
in actionibus externis, etiam si, non antecedat vitium in in-
ternis. Sed antecedens est. Ergo & consequens. Ad mi-
noris probationem addo hanc sententiam: Video meliora,
proboque, deteriora sequor. Ex quibus colligi potest, homi-
nem in-

nem internis actionibus rectè utentem, in externis tamen aliquando peccare. Cæterum respondeo i. per distinctionem: interna actiones aliæ sunt bonæ: aliæ depravatæ & corruptæ: de illis minor vera, de hisce falsa est. Quod si quis verò Apostolo, quādo dicit; quod nolo hoc facio, vitiosas internas actiones inesse negaverit, eò quòd voluntas ipsius bona cum peccato non consentiat: ei facile largior, in Apostolo tanquam in renato esse actiones internas bonas, sed non solas; quoniam natura & omnia quæ in nobis, ita sunt depravatæ, ut sit perpetua pugna inter actiones bonas & malas: & hæc à corruptione carnis; illa à spiritu: Vnde quilibet verus Christianus sentit, se ob carnis imbecillitatem non satis fortem esse ad oppugnandam mentis depravationem. Hinc homo victis actionibus internis bonis peccare cogitur: Et hoc ipsum contigit Apostolo. Quicquid est, ab alio est: Sed à malitia, cum adscribatur vitio, ab actione interna bona originem ducere non potest, cum malum quatenus malum non ex bona sed ex malo oriatur. Hic valet maxima supra recitata. Qualis causa, tale effectum ergo erit in actione interna mala.

QUÆSTIO IIX.

Utrum gignatur habitus ab actionibus tam internis, quam externis:

Repetitis ac iteratis actionibus gigni habitum, supra assertum fuit: cum autem actiones duplices sint, dubitatur, num habitus ex actionibus internis vel externis, an verò ab utrisque? De internis illud affirmari posse, extra controversiam esse videtur. Constat siquidem, actionem ex-

B 2

ternam

ternam non posse sine interna cogitatione fieri: nam qui juxta
virtutem agere vult, necessum habet, ut bene consideratis &
meditatis actionibus internis, externam tandem producat.
Verum de externis actionibus gravior inter Philosophos
agitatur quaestio. Nos autem affirmatè respon-
demus, freti hisce argumentis, Primò: si virtus, qua habi-
tum expetit, non solum in actionibus internis, sed etiam, in ex-
ternis exercetur, sequitur ex utrisq; habitum gigni. Sed an-
tecedens est: Ergo & consequens. Connexum verum est; in
quibus namq; actionibus fit exercitatio, ex ijs etiam habitus re-
ctè desumitur, siquidem habitus per exercitationem acquiri-
tur. Minor probatur: quia qui vult ex habitu liberalitatis a-
gere, necessum habet, ut non solum in internis actionibus sed et-
iam in externis, habitum sibi comparet, cum ille, qui tantum
propositum habet liberalitatem exercendi, liberalis non nunc-
cupetur, nisi id ipsum per externam actionem praestet. Deinde:
à quo denominamur equi, illud est habitus equitatis: Sed non
ab internis actionibus solum, sed etiam ab externis equi voca-
mur: postquam ille, cui tantum animus est equitatem prestan-
di, non dicitur equus, antequam per actionem externam alte-
ri equitatem exhibeat. Ad stipulatur nobis Piccol. grad. 2.
cap. 9. inquit, utraq; actio (scilicet interna & externa) du-
plex, una praecurrens, altera sequens habitum: Idem c. 11. ait: per
hujusmodi itaq; iteratas actiones, cum internas, tum exte-
nas, formatur habitus. Nec valet hic objectio: habitus deno-
minatio tantum ab externa actione oritur: Ergo non ex
interna gignitur habitus. Consequentia enim admodum de-
bilis est; licet enim non dicatur aliquis ex habitu virtutis a-
gere, nisi per externam actionem: interim non sequitur, ha-
bitum simul ex interna non gigni. Quomodo enim quæso
posset aliquis agere ex habitu externe actionis, & non
simul interne; cum externa nihil agat, nisi illud ab in-
terna,

terna, ut bonum iudicetur. Quare quando habitus ex externa actione gignitur, simul etiam ex interna oritur, alias habitus constans ex illa & non ex hac esset imperfectus, de quo non est questio.

QUÆSTIO IX.

Annon qui voluntatem in agendo homini adimit, Deum authorem peccati faciat?

Respondemus affirmatè, statuimusq; eos, qui denegant homini libertatem agendi, eo ipso asserere, homines nihil agere, nisi quod Deus velit. Unde sequitur, cum homines persæpè peccata committant, horum Deum esse authorem, quod satis impium atq; blasphemum. Quamobrem à blasphemia horum sententia longissimè discedentes cum Aristotele, in homine libertatem agendi iure meritoq; defendimus. Quam enim ob causam feruntur leges, quarum finis est, homines exhortari ad virtutes, dehortari à vitiis, nisi in hominis potestate & arbitrio positum esset, libere agere? Præclare D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio: *Voluntas nostra non est voluntas, nisi sit in nostra potestate.* Deinde experientia nobis acclamat, cum unusquisq; in sese experiat, se varia posse agere & non agere, imò sæpenuerò cogitare: hoc ago, quia ita volo. Deniq; cum Deus varias res procreavit, eas non confundit, sed distinctas servat, ut se harum esse opificem ostendat. Creavit igitur hominem liberum facultateq; consultandi & prælegendi prædeditum: non autem quid homo velit, Deo, quasi istius voluntatis authori adscribendum est, sed homini, qui ista libertate agendi à Deo concessa pro suo libitu utitur. Objicis? Deus præcognoscit uti nos volumus, unde etiam Dei scientia rerum causa statuitur. Sed sufficientissimè respondet Piccol. grad. 2. c. 33: *Præcognoscit Deus præelectiones istas: at non quia præcognoscit, ideo nos ita eligimus: sed contra, quia nos liberè ita eligimus, ipse præcognoscit, nos liberè id eligere.* Ad illud verò, ubi Dei

scientia statuitur rerum causa distinctè ibidem respon-
detur, quòd videlicet Deus suâ sapientiâ quorundam sit causa
absolutè, aliorum verò modo quodam; nature & essentia re-
rum absolutè est causa: humanarum verò actionum modo a-
liquo est causa. Sed regerunt, si à Deo pendent omnes vires
& libertas hominis, utiq; etiam ab eodem actiones ex his pro-
fluentes pendere dicuntur: & per consequens, Deus illarum re-
rum causa nuncupabitur. Respondeo, Deum quidem nobis
vires largiri, quibus uti possimus: unde etiam id, quod facimus,
virtute Dei facere dicimur, sed hic propriè de modo queritur, in
quo consistit ratio peccati vel probitatis. Quare statumus, a-
ctiones à Deo esse, quòd verò hoc & non alio modo fiant, præli-
gentis & ita volentis est opus, non Dei. Deus namq; homini
rationem dedit; hac si rectè utatur, libera ejus voluntas ad bo-
num tendit; si verò abutatur, ad malum. Hinc clarescit, homi-
ni à Deo esse libertatem agendi concessam, hanc ergo qui ho-
mini denegant, Deum authorem peccati esse asserunt; quod de-
testandum.

QUÆSTIO X.

An astra agant in voluntatem hominis.

Ut rectissimè decidatur hæc quæstio, animadverten-
da est distinctio inter actionem mediatam & immedia-
tam. Corpora cœlestia agunt in potentiam anime, voluntatem
videlicet mediatè; non tamen eandem cogendo, tum quod hac
ratione Deus injustitiæ argui posset talia astra creans, quibus
hic homo nolens volens ad bene agendum, ille ad peccandum
cogatur, tum quòd libertas agendi voluntati denegaretur; sed
inclinando, & quidem mediante temperamento: etenim quam-
primum sanguis circa Cor ab astris calefit, hominis voluntas ad
iram excitatur; siquidem ex effervescente sanguine appetitus
irasci.

irascibilis profluit: sic ergo corpora caelestia directè in tempera-
mentum, indirectè verò in voluntatem agunt. Ex quibus ta-
men concludi non debet, quasi temperamentum sit immedia-
tè causa vel impediendi, vel promovendi voluntatem in homi-
ne. Nam voluntas saepe quidem temperamentum sequitur, sed
non necessario: voluntas enim libera quatenus libera non co-
gitur à temperamento ad iram, sed tantùm inclinatur. Unde
rectè ab Aristotele media hæc, natura, doctrina, & assue-
factio sive educatio, quibus homo temperamentum suū
quantumvis malum corrigere potest, sunt tradita: Verba
ejus hæc sunt: *ζῆλον δὲ ἀγαθὸς οἶονται, οἱ μὲν φύσει: οἱ δὲ ἔθει: οἱ
δὲ διδασχῇ.* Si plura desiderantur, illa in ipso di-
sputationis conflictu dilucidè ex-
plicabuntur.

F I N I S.



Cum eruditione, tum pietate præstantissi-
mo Viro juveni,

Dn. JOHANNI LAURENTIO,

Amico suo suavissimo, de affectibus
responsuro.


*V*ix abiere dies, mensis vix unus & alter,
Victorem ex Sophia cum te prodire palastra
Vidimus; Atq; iterum Musis nova praelia tentas?
Audax pol' facinus! sed honesto pectore dignum,
Dignum, cui rutili faveat moderator Olympi.
Non etenim affectus res est dignoscere parva:
Major & hos Virtus cohibere & gloria summa,
Palladis hos sacro cautè compescere freno:
Quippe cui dirus conferri nescit Achillis
Herculis atq; labor, vel si memorabile quicquam.
Ergo quod affectus tam doctè discutis, & quod
Distortos Sophia tibi cura resolvere nexus,
Grator; Namq; tuis res non indigna Camœnis.
Perge modo, & simili cura convellere perge,
Si qua tibi cupiant affectus bella movere,
Ceu fecit nocuis quondam ludibria monstris,
Obturans aures & pectora divus Vlysses.
Sic geminus tibi surget honos, sic gloria surget,
Gratus eris Superis, & multis charus honestis,
Et venient plures merita cum laude triumphi.


Johannes Erasmi Brem.
Saxo. LL. Stud.

X 2677027

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



QUESTIONUM ETHICARUM
DECAS IV.

De
**TO VIRTU-
RALIUM, AFFE-
VIDELICET, ET**
efficiente, nempe A-
tionibus.

Quam
IVNO ANNVENTE
Academia VVittebergensi.

PRÆSIDE
clarissimo viro
CO VELSTENIO

*oralis Professore Publ. venti-
andam proponit*

ES LAURENTIUS
TADENSIS
*Maij horis, locoq; consuetis,
arch in apophth.*

*er navis, nisi pondus anebo & retineat, alto inji-
s rerum procellis summa debet ratio animum
e, ne ab affectibus auferatur.*

ITTEBERGÆ
*graphica Johannis Gormanni,
M. DC. X.*

247
(4)

